

**Bula de la unión de  
las iglesias de Segorbe y Albarracín,**

*expedida por el papa*

**Alejandro IV**

*en Anagnia el año V de su pontificado*

**(1258)**

Copia del original existente en  
el archivo de la catedral de Segorve



Biblioteca Virtual de  
Pensamiento Político Hispánico  
*Saavedra Fajardo*



*Bula de la union de las iglesias de Segorve y Albarracin expedida por el papa Alexandro IV en Anagnia el año V de su pontificado (1258) (a) (V. pág. 55).*

Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis capitulo segobricen. et S. Mariæ: salutem et apostolicam benedictionem. Petitio vestra nobis exhibita continebat quod quondam Petrus Roderici (b), nobilitate sanguinis, et morum honestate præclarus, à claræ memoriæ Lupo rege quædam castella, et villa obtinuit, quæ à sarracenis fuerant diutius occupata; in quæ siquidem idem P. postea sollicitudine operosâ christianos habitatores induxit, qui una cum habitatoribus locorum ipsorum apud bonæ memoriæ toletan. archiepiscopum loci metropolitanum multipliciter

(a) Copia del original existente en el archivo de la catedral de Segorve.

(b) Pudo ser equivocacion llamar *Roderici*, á quien consta que

debía llamar *Petrus Ferrandi*, ó *Ferdinandi*, que fue D. Pedro Fernandez de Azagra, agraciado por Lobo, rey de Valencia, con la posesion de Albarracin.

institit, ut eisdem concederet episcopum specialem, et in uno castrorum illorum, quod *Sancta Maria* vulgariter nuncupatur, episcopalem sedem constituere dignaretur. Qui, tam nobilis memorati, quam populi devotionem attendens; considerans nichilominus quod ex hoc non solum fidelibus poterant spiritualia commoda provenire, set etiam paganorum incursibus facilius obviari, auctoritate piæ memoriæ Celestini papæ, prædecessoris nostri, tunc in minori officio constituti, in Hispaniæ partibus legationis officium exercentis, et comprovincialium episcoporum consilio, annuit postulatis: constituens ut apud prædictum castrum sedes episcopalis existeret, quæ per proprium episcopum regeretur. Unde juxta statutum hujusmodi jam dicta sedes ex tunc usque ab hæc tempora fuit proprii pastoris ministerio gubernata. Et postmodum felicis recordationis Innocentius papa prædecessor noster, ad instar felic. memoriæ Innocentii papæ III prædecessoris nostri supra dictum statutum, sicut providè factum extitit, approbans, illudque auctoritate apostolicâ confirmans statuit, ut cùm civitas Segobriensis jam ad christianæ religionis cultum, divinâ gratiâ disponente, rediisset, ad tuam, frater episcopo, tuorumque successorum pastoralem curam accederet; ita quod de reddenda sibi episcopalis cathedræ dignitate, vel unione inter has duas ecclesias faciendâ romani pontificis auctoritas requiri deberet; idque in hoc casu servaretur, quod ejus existeret arbitrio diffinitum. Nos igitur attendentes quod eadem ecclesiæ, ut pote locorum, ut asseritur, vicinitate conjunctæ, comodè possint sub ejusdem pastoris regimine gubernari, vestris devotis supplicationibus inclinati, ipsas de fratrum nostrorum consilio duximus uniendas. Ita ut tu, frater episcopo, tamquam utriusque pontifex, de ipsarum patrimonio, cleri ordinatione, ac promotione, juxta statuta canonum, ordinandi

ac disponendi habeas facultatem. Statuentes ut earumdem ecclesiarum canonici idem collegium esse debeant, quodque ipsis sint tractatus, et jura communia, nec non consuetudinibus et privilegiis comuniter gaudeant, quæ in earum alterâ meliora et humaniora consistunt. Proviso ut cum in una residentiam feceris, providenti curâ disponas, quod in aliâ divina mysteria sollempniter peragantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ unionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. Anagninæ XV. cal. april. pontificatus nostri anno quinto (1258).